

octavi capitis. Nunc autem in verbis quae retulimus, sequitur miti-
gatio: quia Deus populo suo manum porriget, mortem fore magis
tolerabilem quam prius fuerint morbi. Tamen, inquit, totus po-
pulus delebitur, lux tamen gratiae affulgens efficiet ut minus sit ca-
liginis in hoc postremo interitu quam fuerit in duplici ruina decem
tribuum. Porro dubium non est quin promissio ad totum populi
corpus quod peraeque in speciem videri poterat perditum & depla-
ratum, extendi debeat. Praepostere enim Iudaei ad liberationem
urbis Ierololymae restringunt, quasi lux vitalis reddita fuerit dum fu-
gato rege Sennacherib soluta fuit obsidio. Certe ex contemptu
plane liquet longius respicere Prophetam. Quum igitur commu-
nem totius Ecclesiae iustificationem promittat, sequitur terram Zab-
ulon & terram Nephtholim, & Galilaeam Gentium comprehendi
in eorum numero quibus tenebrae mortis in vitae lucem mutandae er-
rant. Huius lucis initium & quasi aurora fuit populi reditus ex Baby-
lone. Tandem pleno splendore emerfit sol iustitiae Christus qui
mortis tenebras penitus suo aduentu aboleuit. Ideo Paulus in eo im-
plerum fuisse admonet quod passim occurrit apud Prophetas. Sur-
ge qui dormis, & exurge a mortuis. Ephes. 5. c. 14. Iam quum
sciamus spirituale esse Christi regnum, necesse est ut eius naturae lux
salutis quam offert, & quicquid auxilii ab eo percipimus, respon-
deat. Vnde sequitur, animas nostras in mortis aeternae tenebris de-
mersas esse donec eas sua gratia illuminet. De Gentis quidem ex-
cidio sermo habetur apud Prophetam: sed quasi in speculo descri-
bitur conditio humani generis, donec Christi gratia liberetur. M
Nam densae tenebrae obtinent ubique non fulget lux illa gra-
tiae Christi. Generant autem haec tenebrae generis omnis flagitia, quae
Apostolus opera tenebrarum vocat, Romanor. 13. d. 12. & Ephes. 4. d.
18. & 5. c. II. GALILAEA GENTIVM. C. Haec inferior Galilaea voca-
ta fuit Gentium Galilaea, non modo propter viciniam Tyri & Sido-
nis, sed quia permixtae illae erant Iudaeis gentes: praesertim ex quo
Dauid aliquot vrbes regi Hiram concesserat. 1. Reg. 9. b. II. ut significa-
retur Euangelicam lucem etiam ad Gentiles deferendam. Iesus Pau-
lum sic alloquitur, Eripiens te de populis & gentibus in quas nunc
ego mitto te aperire oculos eorum ut conuertantur a tenebris ad lu-
cem, & de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem
peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quae in me, Actorum
26. d. 17.

16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem ma-
gnam: & qui sedebant in regione & umbrae mortis, lux orta
est eis.

POPVLVS QVI SEDEBAT. M. Quid sit sedere in tenebris &
umbrae mortis, aperte declarat Paulus dicens, Memores estote quod
vos eratis Gentes in carne: vocabimini praeputium ab ea quae vocatur
Circumcisio in carne, quae circumcisio manibus fit. Quod in-
quam, eratis in tempore illo sine Christo, ab alienati a rep. Israelis,
& extranei a testamenti promissionis, spem non habentes, Deo-
que carentes in mundo, Ephes. 2. c. II. VIDIT LUCEM MAGNAM.
C. Quod lucem magnam dicuntur vidisse qui in tenebris iacebant,
tam subita & illustri mutatio, diuinam salutis magnitudinem ampli-
ficat. M. Christus seipsum vocat Lucem mundi, Iob. 8. b. 12. & 9. a. 5.
& 12. c. 35. Lucis opus est pellere tenebras, & quae in tenebris sunt il-
lustrare. Sic Christus reuera lux mundi est, quae omnem hominem
in hunc mundum venientem illuminat. Iohan. 1. a. 9. hoc est, tenebras
mentium discit, occulta cordium nostrorum arguit, & quam non
habemus cognitionem Dei, mentibus nostris Spiritu suo largitur.
IN REGIONE VMBRAE MORTIS. S. Sic & Latina exempla-
ria vetera. Regionem & umbram mortis vocat Hebraico more, re-
gionem in qua densae caligines quales in inferno. Umbram mor-
tis praesentem mortis observationem, ipsos terrores mortis, atque
adeo perpetuam conscientiarum irrequietudinem significat. LUX
ORTA EST EIS. A. Videre lucem, & lucem orti super aliquem,
idem est.

Vet. int. 17. Ex eo tempore cepit Iesus praedicare, & dicere,
Poenitentiam agite. Resipiscite: appropinquauit enim regnum caelorum.

EX EO TEMPORE COEPIT. C. Videtur non nihil habere Mat-
thaeus diuersum a reliquis duobus Marco & Luca. Postquam enim
Christum relicta Patria Nazareth, in Capernaum migrasse dixit, tunc
demum atexit exordium praedicationis eius: Lucas vero & Marcus
eum in patria publice docuisse referunt. A. Sic enim habet Mar-
cus, Postquam comprehensus esset Iohannes, venit Iesus in Galilaeam
praedicans Euangelium regni, & dicens, Impletum est tempus, &
appropinquauit regnum Dei: resipiscite & credite Euangelio, cap. 1.
b. 14. Lucas vero, Et reuersus est Iesus virtute Spiritus in Galilaeam: &
fama exiit per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synago-
gis eorum, & glorificabatur ab omnibus, cap. 4. b. 14. Verum facilis
est solutio. Nam aduerbium temporis apud Matthaeum non modo
ad proximum membrum, sed ad totum narrationis complexum re-
ferri debet. Suo igitur in Galilaeam aduentu stadium suum Christus
ingressus est. RESIPISCITE: AP. C. Haec doctrinae summa ni-
hil ab ea differt qua paulo ante legimus, vsu fuisse Iohannem, su-
pra 3. a. 2. Duabus enim partibus constat poenitentia, & gratiae salu-
tisque praenotio. Hortatur Iudaeos ad conuersionem, quia regnum
Dei appropinquauerit: hoc est, quia populum suum Deus regendum
suscipiat: quae plena est ac solida felicitas. Marcus paulo aliter, Appro-
pinquauit regnum Dei: resipiscite & credite Euangelio: (Marc. cap. 1.
b. 15.) eodem tamen sensu, nam de restituendo apud Iudaeos regno Dei
praefatus, hortatur ad poenitentiam & fidem. Eadem ut praedicit pra-
cipit Christus ipse Apostolus, Praedicate dicentes, Appropinquauit re-
gnum caelorum. Infra 10. a. 7. Et misit illos praedicare regnum Dei, Luc.
9. a. 2. Et dicite illis, Appropinquauit in vos regnum Dei, Ibidem 10. b. 9.

Et, Oportebat praedicari in nomine eius poenitentiam & remissionem
peccatorum, Ibidem 24. g. 47. Cui mandato paruerunt Apostoli.
Nam exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent, Marc. 6. b. 12.
Petrus autem dixit ad illos, Poenitentiam agite, & baptizetur vnus-
quisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, Actor. 2. f. 38.
Et alibi, Poenitentiam & conuertimini, ut deleantur peccata vestra,
Ibidem 3. cap. 19. Paulus item praedicabat testificans Iudaeis & Gen-
tibus in Deum poenitentiam, & fidem in Dominum Iesum, Ibidem
26. d. 21. c. Quae tamen potest, quum ex Euangelio pendeat po-
nitentia, cur eam Marcus ab Euangelii doctrina separet, Duplex so-
lutio est. Nam Deus interdum sic nos ad resipiscendum inuitat, ut
tantum dicat mutandam esse in melius vitam: postea conuersionem,
& vitae nouitatem, Spiritus sui donum esse ostendit: ut sciamus non
tantum nobis praecipere quod officii nostri est, sed obsequendi gra-
tiam & virtutem simul offerri. Si hoc modo accipimus quod Ioh-
annes concionatus est de poenitentia, sensus erit, Dominus vos ad
se conuerti iubet: quia vero id non potestis propria industria, Spi-
ritum regenerationis promittit: quare hanc gratiam fide amplecti
vos oportet: quanquam fides quam Euangelio haberi postulat, mi-
nimè ad donum renouationis restringi debet, sed praecipue ad pec-
catorum remissionem spectat. coniungit enim Iohannes poeniten-
tiam cum fide: quia se ideo nobis Deus reconciliat ut tanquam Pa-
ter a nobis sanctitate & iustitia colatur. Deinde nihil absurdi
est si credere Euangelio tantumdem valere dicimus atque gratui-
tam iustitiam amplecti. Sape enim in Scriptura specialis ista in-
ter fidem & remissionem peccatorum relatio occurrit sicuti cum
docet fide nos iustificari. Vt vobis modo exponere hunc locum
libeat, principium tamen illud manet fixum, offerri nobis gra-
tiam salutem a Deo, ut ad ipsum conuersi, iustitiae viamur. Er-
go misericordiam nobis promittens, ad carnis abnegationem vocat.

18. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilaeae vidit duos
fratres, Simonem & cognomine Petrum, & Andream fra-
trem eius, iacentes rete in mare: (nam erant piscatores.)

Ad verbum,
Qui dicitur
Petrus.

AMBVLANTEM. M. Paucis Euangelista quorundam discipulo-
rum vocationem attingit. c. Quando vero haec historia duobus quae
postea videbimus miraculis posterior habetur apud Lucam, cap. 5. a. 1.
vulgo inualuit opinio, quod ab ipso narratur miraculum, aliquan-
to post tempore quam a Christo vocati essent fuisse editum: sed pa-
rum momenti habet ratio quam sequuntur. Neque enim certa distin-
ctaque temporum serie annales componere propositum fuit Euange-
listis. Vnde fit ut neglecto dierum ordine, ex rebus gestis Christi pra-
cipuas quasque summam colligere satis habeant. Annorum quide-
m habita fuit ab illis ratio, ut conspicuum esset lectoribus quomo-
do defunctus sit Christus trienni cursu ab initio praedicationis vsque
ad mortem. Sed quae in idem ferè tempus inciderunt miracula, libe-
re perspicent: quod pluribus deinde exemplis certius patebit. Nunc
vero eandem historiam narrari a Matthaeo quae a Marco capite 1. a.
16. & Luca capite 5. a. 1. pluribus argumentis constat: ex quibus haec
vnum non contentioso lectori sufficere, quod tres ipsi vno consensu
tandem docent, Petrum & Andream, Iacobum & Iohannem crea-
tos fuisse Apostolos. Si prius vocati fuissent, sequeretur fuisse apo-
statas, qui deserto magistro & sprete vocatione reuersi essent ad pri-
stinum vitae genus. Hoc tantum est discriminis inter Lucam & duos
reliquos quod miraculum ab his omissum solus ille recitat. Sed hoc
quoque Euangelista non est insolens, partem vnam rei gestae mul-
tis circumstantiis omissis attingere. Quare nihil absurdi est si dica-
mus praeteritum fuisse a duobus miraculum quod ab vno refertur.
Et memoria tenendum est quod dicit Iohannes, ex innumeris Chri-
sti miraculis delectam fuisse aliquam partem quae ad probandam ei-
us diuinam potentiam & fidem in eo nostram, confirmandam, sus-
ficeret, Iohan. 20. g. 31. Nihil igitur mirum si vocationem quatuor
Apostolorum parcius delibant Matthaeus & Marcus, cuius occasio-
nem Lucas fuisse exequitur, quemadmodum suo loco videbimus.
SIMONEM COGN. PET. Huic Christus dixit, A Tu vocaberis
Cephas, quod interpretatur Petrus, Iohan. 1. f. 42. Item, cui impo-
suit nomen Petro, Marc. 3. b. 16. Et, quem Petrum nominauit, Luc.
6. b. 14. Vnde intelligimus huic Apostolo peculiare nomen a Christo
inditum, ut adhaereret opus fore constanti confessione & fide: aut à
Petra quam confitebatur, assequutus est nomen, Tu es Petrus, & su-
per hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Infra 16. c. 18. ET AN-
DREAM. De hoc vide Iohan. 1. f. 40. IACIENTES RETE. E. Vox
Graeca significat retis genus, quemadmodum & sagena, hinc dictum
quod vndique complectatur. NAM BRANT PISC. VOX Grae-
ca non piscatorem significat a piscibus, sed à mari: quasi tu dicas
A iuxta Gallorum nostrorum linguam, Marinatores, quod in ma-
ri venentur. M. Quales autem vocauerit Dominus ad ministerium
verbi sui, hinc videre est. c. Certe crassos idiotas, nec minus rudes
ingenio quam doctrinae expertes sibi delegit quos expoliret: imò
quos Spiritus sui gratia renouaret, ut cunctis mundi sapientibus pra-
cellerent. Ita scilicet voluit humiliare superbiam carnis, & insigni
spiritualis gratiae specimen dare in eorum persona, ut discamus fidei
lumen petere è caelo, scientes propria industria non posse acquiri. M
Propterea ait Paulus Corinthiis, Videte vocationem vestram, quod
non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non
multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat
sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & igno-
bilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quae non erant, ut ea
quae sunt obliteraret: ut ne gloriaretur vlla caro coram ipso, 1. Corin-
th. 1. d. 26. Item, Videntes Petri in dicendo libertatem ac Iohannis, com-
peritoque quod homines essent illiterati & idiotae, admirabantur &

b 3 agnosce-

Cū vet.
pse.
b. h. h. h.
15.

caud.